(1

# STRATONIS
## ALIORVMQVE VETERVM POETARVM GRAECORVM
# EPIGRAMMATA
## *NVNC PRIMVM*
A
## CHRIST. ADOLPHO KLOTZIO
EDITA

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

*ALTENBVRGI*
EX OFFICINA RICHTERIA
CIↃ IↃ CC LXIV

# PRAEFATIO.

Etsi complura sunt, quae iam inchoata perficere, et ad exitum, nec eum, nisi fortasse me communis φιλαυτία decipit, infelicem perducere, mirifice gestio, et a quibus, vt fere fit, vbi semel operi manum admouere coepimus, inuitum me auocari fateor: rem tamen iucundam Graecarum litterarum studiosis facere mihi visus sum, si aliquid temporis illis laboribus (si, quae et ipsi nobis imposuimus, et summa cum animi delectatione peragimus, negotia hoc nomine appellare fas est) surripuerim, collocauerimque in

edendis Epigrammatibus Graecis, quae Fortunae hominumque fauor nuperrime nobis obtulit; cum quod nolui amplius viros doctos frustra eorum desiderio aestuare, quod maxime incensum esse arbitror eorum vocibus, qui se a carminum editione virginali quadam verecundia retineri, nescio, an ex animo, dicerent; tum quod etiam hoc modo voluntatem nostram cupiditatemque de litteris bene merendi iis ostendere volui, qui amoenioris argumenti libros, et, nisi ad doctrinam augendam, certe ad animum emendandum poliendumque ingenium facientes, se non ferre posse querantur, *realia*, vt pro elegantia sua loquuntur, postulent, (id est, libellos, in quibus antiquitatis aliquod caput, centum locis auctorum, maiusculis litteris, adscriptis, centumque libris strenue compilatis, explicatur) quaeque magis

ingenii

ingenii et acuminis, quam diligentiae et doctrinae ſpeciem habeant, remoueri cupiant: cui hominum generi me cum hoc, tum vero aliis libris abunde ſatisfacturum eſſe, ſperare audeo. Sed priusquam carmina ipſa exhibeo, non inutile eſſe cenſeo, cum de antiquorum Epigrammatum collectione, quae *Anthologia* dicitur, pauca monere, tum pro me ipſo quaedam dicere. Nam in tanta perfidia hominum et malitia, quam nos toties iam experti ſumus, quamque nullo alio modo, niſi contemtu et perpetuo ſtudio, litterarum decus, quantum in nobis eſt, ſeruandi, punire et vlciſci mihi certum conſtitutumque eſt, non defuturos eſſe, praeuideo, qui ad horum carminum adſpectum ſe contremuiſſe narrent, in editorem illorum inuehantur, et, niſi viris bonis et doctis, qui, quo libidines

contegunt, eorum ſupercilium et frontem bene norunt, plebeculae tamen, mulierculis, aliisque, qui recte iudicare neque poſſint, neque velint, perſuadeant, nefarium hoc eſſe facinus et impium. Horum igitur calumniis vt occurramus, paullo poſt a nobis opera dabitur. Hiſtoriam vero Anthologiae contexere, et copioſe illius fata commemorare, eo minus neceſſarium eſt, quo diligentius in hoc negotio viri docti verſati ſunt, vt, Leo Allatius (*) Fr. Vauaſſor (**) Io. Alb. Fabricius (†). Eman. Martinus (††), Io. Henr. Maius,

(*) in *epiſt. ad Gabr. Naudaeum* inter *F. Liceti Reſponſa de Quaeſitis per epiſtol.* Bonon. 1640. p. 308.

(**) in libro *de Epigrammate, cap. 16. p. 171.*

(†) in *bibl. Graec. L. III.* c. 28. a p. 681.

(††) in *Epiſt. V. L. IV. p.* 184. et *VI. L. V. p.* 216. ed. Amſtel. 1738.

ius (*), Io. Henr. Leichius (**) et Cl. Reiskius (†). Iuuat tantummodo, vt ordine deueniamus ad Stratonem, de quo fortaſſe aliis non obſeruata dicemus, repetere ab iis iam allata.

Primus, qui diſperſa Graecorum Epigrammata, Alcaei, Sapphus, Archilochi, Pamphili, Menecratis, Simonidis, Arati, Poſidippi, Polyſtrati, Polycleti et plurimorum aliorum collegit, fuit *Meleager*, filius Eucratis, natione Syrus. Hic ex ratione Martini a. C. n. CLXXXVI. vixit, ſuamque collectionem, cui titulum *Coronae* impoſuerat, Diocli cuidam inſcripſit. Hunc tempore Caeſaris et Auguſti ſecutus *Philippus* Theſſalonicenſis, eorum, qui poſt

 Melea-

(*) in *Catal. Mſct. biblioth. Vffenbachianae*, p. 573.

(**) in praefat. ad *Carm. Sepulchralia*. Lipſ. 1745.

(†) in praefat. ad *Cephalae Antholog.*

Meleagrum vixerunt, carmina collecta eodem titulo edidit. Iuſtiniani Imperatoris tempore *Agathias*, Myrinaeus patria, cum aliorum poetarum, tum ſuis ipſius carminibus illorum numero aucto: et redactis, cum adhuc illa exhibita eſſent litterarum ordine, vnde ſinguli poetae nominis initium ducerent, iisdem ad certa capita, ita, vt eſſent ἐρωτικὰ, ἀναθηματικὰ, ἐπιλύμβια, ἐπιδεικτικά, *Conſtantinus Cephalas* acceſſit. Denique horum veſtigia preſſit *Maximus Planudes*, monachus Conſtantinopolitanus, anno MCCCLXX. neſcio tamen, an multam gratiam promeritus hoc ſuo labore. Nam et omiſit complura, quae cuculli ſanctitatem non decere fortaſſe exiſtimauit, et tamen, qui erat boni viri ſtupor, quaedam, non honeſtiora relictis, admiſit. His, de quibus iam ſatis ab aliis dictum, addendum

eſt

eſt etiam nomen *Stratonis*, de cuius aetate, patria, reliquisque rebus nihil certi conſtat. Memini equidem Diogenem Laertium L. V. Sect. 58. p. 298. (ed. Amſtel. 1692.) octo Stratones memorare, atque inde etiam laudare Fabricium in bibl. Graeca varios Stratones, quorum notiſſimi ſunt Strato Phyſicus, patria Lampſacenus, filius Arcefilai, philoſophus peripateticus (*), et Strato Comicus, cuius Plutarchus in ſympoſio, tanquam aequalis ſui, meminit (**), quos neque *Io. Mollerus* (†) praeteriit. Sed quemadmodum nemini horum hanc collectionem deberi puto: ita, quis omnino ille Strato fuerit, ignoro. Tribuit illi Fabricius l. c. (††) locum inter poetas epigrammatibus ſcribendis

 claros,

(*) Lib. III. c. 11. p. 311.
(**) L. II. c. 22. p. 790.
(†) in Homonymoſcopia. p. 340.
(††) L. III. c. 28. p. 725.

claros, titulo, neſcio, an honorificentiſſimo, addito: *Strato, non philoſophus ille peripateticus, ſed poeta hoc nomine iunior, Epicuri de grege porcus, Capitonem medicum perſtringit* p. 250. Sed praeter hoc reſtant tria alia epigrammata in Anthologia edita, p. 154. 188. 252. ed. Wechel. Cl. Reiskius Stratonem, cum ob ſilentium Meleagri et Philippi Theſſalonicenſis, tum ob multa nomina poetarum Auguſto, Tiberio, Hadriano atque etiam Seuero aequalium, quae in Muſa hominis exſtant, coniicit aeuo Seueri Imp. hoc eſt, tertio ſaeculo p. C. n. vixiſſe, et inter Philippum atque Agathiam medium collocandum eſſe. Recte idem etiam monet, falli, qui exiſtiment, ſoli Stratoni deberi Muſam, cui illius nomen praefixum, nec eum primum condidiſſe illam, ſed a Meleagro conditam auxiſſe.

Huius

Huius igitur Stratonis epigrammata ex codice bibliothecae Ducalis Vinarienſis deſcripſimus. Primam illius notitiam hauſimus e *Notitia bibliothecae Schurzfleiſchianae* a Io. Matth. Geſnero edita, p. 17. vbi occurrunt: *Excerpta inedita ex anthologia Graecorum epigrammatum, quae fuit in bibliotheca Iſ. Voſſii.* Idem Geſnerus in *Relationum de libris nouis Faſcic. Vndecimo* p. 134. *Apographis*, dicit, *addi poteſt vnum, quod inter relicta a B. Io. Guil. Bergero cimelia venale nunc quoque pendet, et vnum, ſed excerpta quaedam, non omnia, continens, ceterum docta* Thryllitii *manu ſcriptum, quod cum bibliotheca reliqua Schurzfleiſchiana in Ducalem Vinarienſem commigrauit.* Sed mox certiora pluraque didicimus e litteris viri doctiſſimi, *Bartholomaei*, qui magno cum litterarum bono illius biblio-

bibliothecae curam gerit, amabilemque humanitatem cum insigni eruditionis copia coniungit. Tandem ipsae chartae nobis missae sunt, venia impetrata a viro illustrissimo, GREINERO, qui non indignum censet dignitatis, quam sustinet incredibili cum omnium bonorum laude, splendore, amare litteras, Musas Graecas Latinasque ornare, iisque, in quibus studium earum esse intelligit, fauere. Est ille codex plagularum sex, continetque carmina CXXVI. Titulum habet in fronte: *Excerpta ex Anthologia Graecorum epigrammatum, quae est in bibliotheca Is. Vossii.* Librum hunc e Schurzfleischii bibliotheca Vinariam peruenisse, docuit me illius manus, quae ad finem codicis epigrammata quaedam, sed iam edita, adscripsit. Vidi praeterea Io. Matth. Gesnerum in prima plagula haec notasse: *sunt eadem credo*

*credo haec epigrammata in Vffenbach.* n. 22. In *Catalogo* vero *Mſct. bibl. Vffenb.* p. 573. legimus: *Codex vigeſimus ſecundus chartaceus eſt, in folio, conſtans foliis ſcriptis XIV. a viro docto ſuperiori ſeculo, continens Epigrammata Graeca circiter CL. argumenti amatorii omnia, e queis quatuor tantum vel quinque exſtant in Anthologia edita* etc. Quod vero Geſnerus ſcripſit, codicem manu *Thryllitii* ſcriptum eſſe, memoria, credo, virum doctiſſimum fefellit. Nam in margine tantum ea carmina notauit, quae in Anthologia edita iam exſtarent. Vtamur vero hac opportunitate, et renouemus conſeruemusque atque poſteritati tradamus memoriam Thryllitii, viri eruditiſſimi, admirabili inprimis Graecarum litterarum ſcientia inſtructi. Breuiter de illius vita expoſuit Chriſt. Grundmannus in *Reliqu. Vrnar.*

*Vrnar. litterator. a. 1714. et 1715. defunctorum* in *Miſcellan. Lipſienſ.* T. V. p. 397. vbi *vir* appellatur *in ſtudiis humanioribus et omni elegantiori litteratura, inprimis Graecanica et poeſi Graeco-Latina ad inuidiam verſatiſſimus:* copioſius vir quidam doctus, qui nomen ſuum non edidit, in *Muſeo nouo* (*): omnium autem fortaſſe copioſiſſime Io. Gottfr. Leſchnertus in laudatione funebri (**), quam tamen videre mihi non contigit. Natus ille fuit a. 1688. in pago Saxoniae, Roda, et in ſchola Grimmenſi, quae Principis Electoris ſumtu ſuſtinetur, litteris inſtitutus: in Academia Vitebergenſi cum aliis magiſtris, quos tum ea habuit clariſſimos, tum inprimis Schurzfleiſchio et Io. Guil. Bergero

(*) *Neuer Bücherſaal der gelehrten Welt. Die 58. Oeffnung.* 1716. *p.* 727.

(**) Viteb. 1715. fol.

gero operam dedit: titulum magiſtri, pro more in plurimis Germaniae ſcholis, fortaſſe ſine commodo, immo cum detrimento litterarum, recepto, ibidem nactus, litteras docere coepit iuuenes, qui tum nefas eſſe cenſerent, ſine Graecarum litterarum ſcientia, quam nunc magiſtri ipſi negligunt, ad veneranda, ſiue religionis, ſiue Iuris, monimenta tractanda accedere. Haec igitur cum ille ageret, multa ſcriberet, plurima legeret, omnibus praeclaram ſpem eximiorum operum faceret, praematura morte a. 1715. extinguitur. Mortuo hunc honorem habuerunt Vitebergenſes, vt non ſolum corpus ſolemni pompa efferrent, ſed eidem quoque medium inter Laurent. Rhodomannum et Frider. Taubmannum tumulum tribuerent. Praeter libellos quosdam Academicos *de Theophaniis Veterum: de*

*dialectis*

*dialectis Graecis: de dialecto Graecorum communi: de pronunciatione Latina ex Aeolica dialecto repetenda; de Deastris ad fores statui coliue solitis*, praeterque variorum librorum censuras in *Actis Eruditor. Lipsienſ.* propositas, scripsit carmina quaedam Graeca, quae Hier. Freyerus *Fasciculo poematum Graecorum* (*) addidit; quia hominis Christiani carmina, opinor, a iuuentute, non versus profanorum hominum, legi voluit, quae erat tum plurimorum superstitio. Maxime credo illius nomen celebratum esse, consilio de bibliotheca Scholiastarum adornanda exposito (**). Nempe tomis nouem decemue includi voluit, quidquid restaret antiquorum Scholiastarum, initio faciendo ab Eustathio, vltimo loco Latinis, vt Seruio, Donato,

(*) Halae, 1715.

(**) in *Miscell. Lipſ. T. II. p.* 550.

Donato, reliquis collocandis, addendisque indicibus copioſiſſimis. Quemadmodum vero tale inſtitutum magnam litteris vtilitatem allaturum eſſe credimus, ita illud optandum magis, quam ſperandum eſſe, exiſtimamus. Certe ego nolim bibliopolarum cuiquam auctor eſſe, vt eius modi opere edendo, quo noſtrorum hominum elegantia carere poſſe videtur, temere ſumtus profundat. Mentionem facit huius conſilii Fabricius (*): *Vtinam vero viueret graecantiſſimus ille* Georgius Fridericus Thryllitius, *cuius ſchediaſma de bibliotheca ſcholiaſtarum vniuerſali adornanda, ſed qualem nec animoſiſſimus bibliopolarum ſuſcipere vnquam, etiam ſi prelo eſſet parata, auſit, ciues mei inſeruere Tomo ſecundo Miſcellan. Lipſienſ.* vel

(*) in *praef. Vol. VIII. bibl. G.*

*vel vtinam frater eius egregius*, Valentinus Hermannus Thryllitius, *Medicus Geithaynenſis, cuius epiſtolam itidem Lipſienſes mei euulgarunt in faſce LVIII. diarii, quod ſub Noui Muſei titulo Germanice quot menſibus in lucem edunt, docti fratris veſtigiis ita pergat inſiſtere, vt, quae ille molitus eſt, hic ſuo ſtudio expolita perficiat, atque Graecarum litterarum latifundia amplificet inſigni quadam nec inſitianda acceſſione. Nam hactenus nihil in illis deſidero, quam quod confidentiores interdum ſunt.* Praeter Io. Henr. a Seelen (*) memini etiam Io. Gottl. Krauſium hoc conſilium memorare atque laudare (**). *De quibus theſauris reconditis* (loquitur de Scholiis

(*) in *Luthero de Scholis optime merito.* Flensb. 1714. p. 21.

(**) in *animaduerſ. ad Boeclerii Bibliograph. Critic.* p. 829.

Scholiis ineditis) *beneuole me ſubmonuit pro ſingulari, quo me complectitur, amore Vir iuuenis* (ita loqui eo tempore mos fuit. ridicule profecto!) *eruditiſſimus et omnis literaturae elegantioris, tum vero Graecae inprimis promus condus inſtructiſſimus*, Georg. Fred. Thryllitius, *qui et ipſe complura in Oreſtem et Phoeniſſas, aliqua etiam in Medeam habet inedita: quorum haud dubie faciet copiam eruditis in eruditiſſimo, quem dudum publico deſtinauit, de Scholiaſtis Graecorum Commentario, opere diu ab harum litterarum cultoribus deſiderato.* Sed cum haec, tum plura alia conſilia mortem viri interceſſe credo. In animum etiam induxerat edere Προομηρικὰ, Ὁμηρικὰ et Μεθομηρικὰ, carmen a Io. Tzetza compoſitum deſcriptumque e codice bibliothecae Auguſtanae. Memoratur illud in catalogo bibliothecae illius his ver-

bis (*): *Iohannis Tzetzis Grammatici rerum ante Homerum gestarum fragmentum cum scholiis.* De eodem carmine puto loqui Huetium (**), vbi, *Est mihi*, inquit, *Tzetzae eiusdem poema de rebus Troicis sic inscriptum:* Ἰοάννου γραμματικοῦ τοῦ Τζέτζου τὰ πρὸ Ὁμήρου, καὶ τὰ Ὁμήρου, καὶ τὰ μεθ' Ὅμηρον ἐν συνόψει καλῶς ἐκδοθέντα. *Adiecta sunt Scholia non contemnenda. Haec edere olim habebam in animo, sed aliis studiis ex transuerso obiectis abreptus sum.* Nunc hoc carmen in manibus Cl. Heynii est. Reliquit etiam Noster commentarium in Cassandram Lycophronis, multo studio et labore confectum,

(*) in *Catal. auct. ab El. Ehingero.* 1633. fol. p. 766.

(**) in *Quaes. et Respons. per epistol.* p. 244. *dans les Dissertations sur diuerses matieres — recueillies par l'Abbé de Tilladet.* T. II.

fectum, quem in bibliotheca Electorali Dresdensi seruari audiui. Mentionem huius commentarii facit auctor notarum ad Burtoni Historiam Graecae linguae (*): *Cl.* Thryllitschius *in erudita dissertatione de Dialectis Graecis paucis abhinc annis Witteb. ventilata, quam vicies viginti locis ab ipso adauctam atque emendatam, vt typis iterum submittere velit, publice hic obtestamur virum in omni litteratura, prae reliquis Graeca, exercitatissimum: in cuius quidem laudes excurrere ipsius, quae inter nos sarta tecta viget, amicitiae leges et optimi hominis modestia prohibent. Verum quam primum eius de scholiastis Graecis et alius in caliginosum Cassandrae scriptorem commentarius, bina reconditae eruditionis molimina, vrgebunt operas, fa-*

 *cient*

(*) in *Fascic. IV. Nouae libror. rarior. collection.* p. 650.

*cient et prela crepare: tum ſatis lectori ſuperque de dictorum veritate conſtabit.* Sed omnium optime iudicari poterit de doctrina Thryllitii noſtri e verbis fratris, cuius epiſtola de relictis ab eo libris propoſita eſt in Muſeo Nouo (*). *Cleomedis*, ille inquit, *magnam partem cum Mſcto bonae notae contulit Vitembergenſi: Gloſſarium ſyntacticum integrum ex Mſcto Auguſtano deſcripſit, luce non indignum: forte adiiciendum aliquando Hypomnematibus ipſius ad Grammaticam Graecam Welleri, quae alioquin ſane non pueris, ſed eruditis ſcripta videntur eſſe, ex Scholiaſtarum et veterum Grammaticorum riuulis digeſta. Quae alioquin Graecis Latinisque adſcripſit auctoribus, in Variorum coniicere volumen animus eſt. Ad Catullum, Tibullum, Propertium bene multa*

(*) p. 736. et 737.

*multa etiam notauit, quae quidem ſolum iuſtum volumen, ſi modo ſeligerentur, conſtituere poſſent, ad eos autem triumuiros illuſtrandos non parum facerent. Alios quosdam graecos auctores recenſuit, quos hic lubens praetereo. — Sunt porro inedita plane Mich. Apoſtolii oratio integra — aliaque eius, — it. Eugeniani* V. E. *Λόγος Ἐπιτάφιος* — it. *Nicephori Baſiliacae Λόγοι Ἐπιτάφιοι bini, et alia minoris momenti, quae cum verſione mea aliquando edere conſtitui. Diſputationibus etiam abs ſe editis bene multa adſcripſit. Taceo titulos:* de Hypocritis ſatyricis, comicis, tragicis: de probris veterum: de vini generibus apud antiquos pretioſis: de Mercuriis veterum: de trophaeis veterum: de tectis veterum: de ſuperſtitioſa ſerpentum apud gentiles vſurpatione: de ſcholiis antiquorum:

de Pythagorica coniuratione: de iuribus iurandi veterum: de gloſſariis, variisque gloſſariorum ſcriptoribus: de poetis graecorum βαρβαροφώνοις: de notis veterum criticorum: de Deorum dialecto Homero aliisque nominata: de poetis graecorum cyclicis: de Corybantibus: περὶ τῶν εὐπατέρων καὶ εὐπατριδῶν: de κενοταφίοις antiquorum: *et alios:* Haec ille. Intelligent ex his lectores, quantam rerum copiam ſibi tractandam propoſuerit Thryllitius noſter, quantamque, ille ſi diutius vixiſſet, litteris vtilitatem afferre potuiſſet. quanquam, vt verum fatear, mihi non placent illae diſputationes, quarum argumenta ex antiquitatis memoria repetita ſunt: cum quod magis ferream diligentiam, quam ingenii elegantiam, ad talia ſcribenda requiri puto; tum quod facili opera eiusmodi libellos ab homi-

nibus

nibus mediocriter doctis ſcribi video. Non tam aegre fero, omnes Thryllitii libellos, quos modo recenſui, periiſſe, quam commentarium illius in Lycophronem deſidero. Nam eorum deſiderium facile lenire poterit, quicunque adire voluerit . . . , vbi eiusmodi libellos et magiſtri et magiſtelli, et Magnifici et Clariſſimi viri, ſingulis menſibus edunt, ſuaeque admirabili eruditioni et ipſi plaudunt, et ab aliis plaudi cupiunt. Sed pergamus. *Collata habeo*, inquit idem, *a beato fratre cum Mſctis Auguſtanis, Vitebergenſibus, aliis, fragmenta ſcholiographorum ad Euripidem inprimis, ad cuius Hecubam bonam partem ineditorum plane, ad Oreſtem vero et Phoeniſſas eiusdem multam edita valde augentium molem ſeruo: ad Pindarum, Nicandrum, Heſiodum, Apollonium et forſan alios. Indices ad*

*haec auctorum in ſcholiis memoratorum emendatos adiicerem: integros autem habeo a b. fratre confectos auctorum in ſcholiis ad Sophoclem, Aeſchylum, Pindarum, Apolloniumque citatorum.* Haec ſunt, quae ille et elaborata a fratre, et a ſe ipſo elaboranda, commemorat. Ego vero non memini, quidquam horum, quae modo enumerauit, prodiiſſe. Hoc ſcio, exſtare epiſtolam Thryllitii *de Clauiculis Salomonis*, libro inepto et febriculoſi hominis partu (*) quam, *Agellii Tranquilli* nomine ſibi impoſito, edidit. Eodem ſub nomine latere voluit, cum ſcriberet epiſtolam aliam, defenderetque Io. Gotl. Krauſium a Theologi, neſcio cuius (nam nomen ſilentio praeteriit) criminationibus (**). Sed redeamus

(*) in *Collect. Nou. libr. rarior. Hal. 1715. Faſc. IV.*

(**) in *Neuen Bücherſaal XXXII. Oeffn. p. 469.*

deamus in viam, vnde nos, siue aberraſſe, siue diuertiſſe, siue (si acerbior eſſe velit, cui haec diſplicent, lector,) longioris praefationis cauſa ſcribendae diſceſſiſſe videmur. De Stratone quaedam addere iuuat.

Codicis Voſſiani, qui epigrammata illa continet, ſaepius vidi viros doctos mentionem facere. Paulus Colomeſius in *Catalogo Mſctorum Iſ. Voſſii* (*) dicit: *Anthologia Graeca hactenus inedita a Fr. Sylburgio elegantiſſime deſcripta e codice bibliothecae Palatinae, quae poſtea Vaticanam auxit.* Pariter Paul. Ern. Iablonski ad Crozium ſcribit (**): *De Epigrammatibus ſcire te volui, ea in bibliotheca publica horis ſtatutis feſtinante calamo transſcripta e codice*

(*) inter opera Colomeſ. a Io. Alb. Fabricio Hamburg. 1709. edita. p. 860.

(**) in *Theſaur. Epiſtol. La Croziano* T. I. p. 176.

*codice Voſſiano, qui manu elegantiſſima, ni fallor, Commelini aut Sylburgii erat deſcriptus. In margine apparebant emendationes nonnullae, quas poſtea didici eſſe Salmaſii,* aut *certe ipſi tribui.* Sed quod inprimis huc pertinet, Stratonis nomen occurrit in *Catalogo bibliothecae publicae Vniuerſitatis Lugduno Batauae* p. 335. Στρατώνος παιδικὰ Μοῦσα, *cum aliis epigrammatibus, quae inter doctos Anthologiae vocabulo dicuntur, ſed obſcoenae, manu Ioſ. Scaligeri, vnde plurima facta ſunt exemplaria*, et p. 399. inter codices Mſct. bibliothecae Voſſianae occurrit: *Anthologia, h. e. epigrammata collecta ex variis poetis nunquam edita, quorum primum eſt Stratonis.* Stratonis epigrammata ſe accepiſſe, narrat etiam Caſaubono Joſ. Scaliger (*): *Epi-*

(*) in *epiſtol. Scaliger. Lugd. Bat.* 1627. *II*, 130. *p.* 330.

*Epigrammata illa ἀνθολογίας* acceptu-
*rum a Grutero me confido. Iam enim*
*quaedam ad me misit longe optima ex*
*alio scriptore, Stratone, Sardiano. De*
*hoc alias.* De Codice Vossiano procul dubio etiam loquitur Io. Fred. Gronouius in epistola ad Nic. Heinsium (*). *In* Παιδικοῖς Στράτωνος *num quid sit Anacreontis, male memini, qui a multis annis non inspexerim: sed persalutabo.* Aut ego etiam vehementer fallor, aut Stratonis epigrammata in animo habuit idem Scaliger, vbi hortatur Salmasium, vt refectis quibusdam Anthologiam edat. *Quod igitur* (**), inquit, *consilium de illorum Epigrammatum Graecorum editione a nobis petis, non auctor tibi sim, obscoena et* ἐξάγιστα *illa edere, tum quod non solum animos castiores offen-*
*dere*

(*) in *T. III. Syllog. Burm.* p. 412.
(**) L. III. ep. 245. p. 526.

*dere poſſunt, ſed et maledicorum in te prouocare linguas:* (ſed quis curet maledicos, mi Scaliger? aut quis, ſi vel optime agat, eorum furorem euitet? tu non Stratonem edidiſti, miſeris tamen modis a Scioppio et Loiolitis laceratus) *tum quod pauciſſima ſunt, vt illis carere non magna iactura ſit. Reliqua etiamſi puerorum formam aut alia commendant, non ideo flagitioſa ſunt. niſi fortaſſe ſecundum Bucolicon Virgilii et quaedam Tibulliana de libris tollenda cenſeamus, et priſcos fere omnes poetas ita euiremus, vt et interficiamus, quod ſtultiſſime in Martiale a quibusdam factum videmus, qui, vt alia taceam, vbi* laſciuus *apud Martialem legitur, in aliud nomen mutarunt, quaſi laſciuos aliquos vocare ſit flagitioſum, aut laſcivus idem ſemper ſignificet, quo alicuius aut ſalacitas aut libido notatur. Riſi,*

*quum*

*quum ea et similia legerem. Non igitur paruam a studiosis gratiam iniueris, si totum ἀνθολογίας volumen cum illis, quae hactenus desiderata sunt, edideris et omnia in sua capita conieceris.* Idem monet in alia epistola ad eundem Salmasium data (*). *Sed quod alteris litteris iam monui, id nunc impensius hortari non verebor, vt scilicet Epigrammata Graeca resectis illis pauculis edas, quae lectori ruborem suffundere possunt. Nam multa sunt, quae tantum de amoribus verba faciunt, ita vt nullius lectoris verecundiam offendere possint. Alioquin Catullum, Virgilium, Tibullum, Horatium, Ouidium Deo tardipedi donare oportebat, si in iis etiam, quae verborum obscoenitate abstinent, delitias facimus, et putidos profitemur, dum pudentes haberi volumus.* Apparet ex

(*) p. 629.

ex his, licet obſcoeniſſima quaeque omitti voluerit Scaliger, non tamen eundem omnia, quae eleganter et venuſte ſcripta, reieciſſe. Inde licet ad Gruterum (*) ſcribat: *auctor ſum illi*, (Salmaſio) *ſi tibi videtur, vt integrum Anthologiae volumen vna cum iis edat, quae ex antiquo codice Palatino hauſit, reſectis illis, quae propter verba praetextata, ferre caſti oculi et aures non poſſunt; quae quum ſint pauciſſima, non admodum magna erit eorum iactura:* alia tamen in epiſtola (**) oblitus ſeueritatis huius: *de illis vero*, inquit, *Epigrammatis Graecis, a Planude caſtratis, quantam ſaliuam mihi mouiſti! — quae certe tanti facio, vt, ex quo illa accepi, nihil aliud in votis habeam, quam omnia illa adipiſci, quae a Planude*

(*) ep. 431. p. 790.
(**) ep. 430. p. 789.

*nude caſtrata ſunt.* Liberiùs ſuam ſententiam expoſuit Salmaſio *Iungermannus* (*). *De Anthologia diu eſt*, ſcribit, *quod ex litteris mei patroni, ampliſſimi Lingelshemii, cognoui illa* ἐυαγγέλια, *iuxtaque tecum ſenſi et ſentio de Planude, cui non omnia fuere plana. Credo tamen deterritum et laſciuia carminum.* (Infra ſcripſimus locum, qui hanc opionem firmat de Planude) (**). *Sed quid? faciamus, vel inuitis illis inſicetiſſimis caſtratoribus bonorum auctorum, vt rumpantur ilia patrum impudentiae. Si enim illi inciderint in haec carmina, antequam publicentur,*

(*) in Syllog. epiſt. Burm. T. III. p. 490.

(**) In Anthol. ed. Wechel. p. 580. notatur eſſe in libro ſeptimo — Ὅσα μὴ πρὸς τὸ ἀσεμνότερον καὶ αἰσχρότερον ἀποκλίνει. τὰ γὰρ τοιαῦτα πολλὰ ἐν τῷ ἀνθιγράφῳ ὄντα παρέλιπε, φησὶν ὁ Πλανούδης.

*centur, actum erit, ilicet.* Quod autem ad codicem Vinarienſem attinet, non habet ille omnia Stratonis carmina, quorum plura edita vidi, quae in illo deſiderantur. ni fallor, CCXLVII. Reiskius enumerat. Quantum coniectura aſſequi licet, credo, aliquem e compluribus codicis Voſſiani ea pauca ſelegiſſe, ſuasque transtuliſſe in chartas. Sed de hoc illi melius iudicabunt, quibus eſt codicis Voſſiani inſpiciendi copia.

Reſtat, vt pauca de ipſa horum Epigrammatum editione dicam. Non nego equidem, eſſe in Muſa Stratonis complura, quae nolim virginibus puerisque ingenuis recitari, quaeque ob rerum turpitudinem et verborum obſcoenitatem ſumma reprehenſione digna ſint. Quare etiam reſecuimus epigrammata quaedam, quae pudorem iniectura eſſe lectoribus praeuidimus. Ea ſola edidi-

mus, quae, licet laudent pulchritudinem puerorum, tamen verborum rerumque obſcoenitate careant. Certe in plurimis horum carminum, quid eſt, quod non de honeſto amore interpretari poſſimus? quam plena venuſtatis eadem ſunt, quam dulcia! Qui de illorum obſcoenitate queratur, ille videat, ne, dum poetas accuſat, qualis ipſe homo ſit, indicet. Neque ſemel miratus ſum, cur viri docti ſe obſcoenitate verborum ab edendis his carminibus retineri dicerent. Quam multa habet Catullus et Horatius, quam multa Martialis, quam multa Petronius, ne quid de carminibus Priapeiis dicam, quibuscum ſi Stratonem, id eſt, talem Stratonem, qualis nunc prodit, compares, aureum hunc eſſe dicas, neceſſe eſt, et caſtum. Sunt tamen illi libri in omnium manibus, leguntur a pueris, explicantur, neque

eſt quisquam, qui iuuentuti illorum lectione interdicat. Quis Iſaaci Voſſii in Catullum commentarium a nemine legi debere dicat?. Continet tamen ille, licet variae doctrinae copia plenus, omne turpitudinis genus diſerte expoſitum. Quem idem promiſerat, ſi prodiiſſet *de proſtibulis veterum* liber, quam auide emtus lectusque fuiſſet ab antiquariorum turba! Sed in re praeſenti maneamus, ne longius abeamus. Exſtat in Anthologia edita (*) Stratonis carmen obſcoeniſſimum, turpiſſimumque omnium, quae Strato vnquam, niſi irato Apolline, certe inuitis Gratiis, ſcripſit. Cur igitur multo honeſtiora, certe venuſtius honeſtiusque dicta, opprimamus? Non edidiſſem ego illa epigrammata: Εὐτυχὲς ὀυ φθονέω· et Πρωκτὸς καὶ χρυσὸς — quae tamen Io. Henr. Maius in Catal. Bibl.

(*) p. 188. Ἡ κλίνη πάσχουσα.

